

DISSERTATIO HISTORICA
SISTENS
*PRIMORDIA JURIS COMITIORUM
PRISCIS SVECIÆ INCOLIS PROPRII.*

PARS POSTERIOR,

QUAM

VENIA AMPL. FACULT. PHILOS. ABOENS,

PUBLICÆ EXAMINANDAM PROPONIT

JOHANNES HENRICUS AVELLAN,

PHILOS. PRACT. DOCENS

RESPONDENTE

REGINALDO VON BECKER,

STIPEND. EKESTUBB., NOBILI, WIBURGENSI.

In Atrio Biblioth. Novo, Die xxv Maji MDCCCIX.

H. A. M. S.

ABOÆ, Typis FRENCKELIANIS

REPUBLICAN PARTY

THE NATIONAL CONVENTION
OF THE REPUBLICAN PARTY
Held at St. Louis, Mo.,
June 17-20, 1860.

VERMONT DELEGATES

WILLIAM H. CHASE
AND
WALTER C. GIBBS

WALTER C. GIBBS

WALTER C. GIBBS

WALTER C. GIBBS

WALTER C. GIBBS

WALTER C. GIBBS

hæc regis sollicita mentibus, inaudita hucusque tyrannide nuper expergefactis, viam ad tutiorem perveniendi statum indigitasset, præsertim animadvertisse videntur cives, finem sibi propositum vix posse attingi, nisi cum officia præstando, tum jura muniendo sua, utpote quorum utrumque legibus sine dubio sit definiendum.

Cui quidem ita jam excitatæ publici juris custodiendi sollicitudini haud parum incrementi postea quoque addidisse fucum æquitatis & justitiæ, quem cœptis factisque suis semper fere inducere conatus est, successor *Ingialdi Ivarus* (oo), haud sine causa existimes.

Si quæ præterea, per *LODBROKICA*, vel (ut etiam a patre *Ragnari Lodbrok Sigurdo Ring* dicuntur) *Sigurdica* tempora, de quibus jam sermo est, potestati populi augendæ & confirmandæ reges, ut quidem probabile est, adminicula adjunxerint, aut proregem regulosve adoptando (pp), aut rempublicam negligentius administrando, aut nimio demum, quo ut plurimum flagrarunt, bellorum studio, id quidem explicare nos vetat tam quæstionis difficultas, quam instituti ratio nostri.

Lodbrokico vero jam ævo, & longe priusquam Lodbrokidæ, stirpe extincta, de summo loco decesissent, atque versus finem hujus periodi, populi Svecani partem, quam strictiore sensu *ingenuos*, seu *Odalbõnder* appellavimus (v. pp. 13 & 14) summam de summis rebus consulendi ac

D

decer-

(oo) Conf. *LAGERBRINC* l. c. Cap. 4 §§. 1 - 4, sed imprimis §. 5.

(pp) *BOTIN* l. c. 1 D. pp. 176 sq. *HERVARAR Saga cum Olavi Verelii interpretatione et notis*, (Upsalæ 1672) Cap. 20 p. 180.

decernendi potestatem conservasse & exercuisse, multis comprobari potest historiæ documentis.

Conventus scilicet, ut supra dictum, sacrorum gratia celebrari cœptos, etiam si regum Lodbrokidarum complures, bella vel remotissimis inferentes gentibus, domo sæpius longe abessent (qq), attamen continue statis temporibus vel proregum vel ceterorum optimatum pontificumque auspiciis rite peractos fuisse, indubium cuique videbitur, qui ad genium populi superstitioni addictissimum attenderit (rr).

Qua

(qq) De variis Sigurdicorum regum, ex. gr. *Sigurdi Ringonis, Ragnarari Lodbroki, Bjornonis Jarnsida*, aliorumque in peregrinas terras (v. c. Germaniam, Angliam, Galliam, Italiam, Hispaniam) susceptis expeditionibus bellicis, lege apud STRUZZ. lib. cit. T. 1. Hist. Reg. Ol. Tryggv. Cap. 22 pp. 220 - 225 ubi p. 221 perhibet: *Ragnarum Lodbrokum in Norvegia educatum, externis bellis in juvenilibus annis occupatum fuisse, neque ad Danicæ regimē nisi ætate maturum pervenisse*; -- porro, regum Ragnaræ filiiisque ejus tributariorum brevissima interjecta mentione, inquit: *"interca reges (loquitur hic de ordinariis, sive supremum locum tenentibus) æstivis diebus, bellis externis implicati erant, quo potius delectabantur exercitio, quam in Dania aut Svecia solitariam atque pacatam agere vitam."* Cfr. BOTIN l. c. 1. D. 3. Tidhv. 2 Cap. et LAGERBRING l. c. 1 D. Cap. 5 §§. 1 - 11.

(rr) Sacrificia, regibus *Ivaro Widfadme, Haraldo Hildetan, et Sigurdo Ring*, bellorum cura quamvis distentis, neque neglecta fuisse probabile putat LAGERBRING l. c. Cap. 5 §. 2, sed diligenter etiam *Eysteinum Beli*, Sigurdi Ragnarique proregem eadem procurasse narrat historici. Hunc nimirum TORREUS, in Historia Rerum Norvegic. Parte 1, Libr. 10. Cap. 48 p. 492, *sacrificiis apprimē deditum, numinumque religiosum cultorem* appellat. Cfr. BOTIN l. c. p. 180 sq.; et LAGERBRING loc. cit. Postea quoque sacra a rege *Eriço* (Bjornonis proregis filio) rite perpetrata fuisse, vel inde

Qua vero ratione factum sit, ut e religiosis cæremoniis laudati conventus in justa pederentim converterentur comitia, in quibus nempe cives, ad consilia de publicis rebus & suffragia ferenda, ex instituto confluerent, id quidem e jejunis horum temporum annalibus vix erui potest.

Antiquissimum autem documentum juris comitalis & potestatis suæ, a civibus editum, hoc forsan est, quod in *Emundum Erici filium*, ducentis ferme & triginta annis ante exitum Lodbrokici periodi (an. p. Chr. 826) imperantem, statuisse reperiuntur e regno depulsum (ss). Equidem abstinere vix possum quôminus credam, seditionem violentam, quæ in *Daniam* usque cedere *Emundum* coëgit, populi ad comitia congregati tribuendam esse indignationi, cujus quidem causâ etiamsi lateat, in nimio regis erga religionem christianam recens innotescentem studio forsan quærenda est tt).

Regnante vero Emundi filio & succesfore *Erico Wãderbatt*, communi civium judicio subjicere publicas quas

D 2

vis

colligi queat, quod et *Hist. HERVAR.* (Edit. de SUHM *Hafn.* 1785) Cap. 19 p. 224 sq. hic rex *Eirikr Uppfali, Erikus Uppfalus*, dicitur, et post mortem quoque (a. Chr. 853) ab indigenis Sveciæ Numinibus, indicante quodam ipsorum ad Olavum proregem nuntio, dignus, unanimiter æstimatus est, qui in *Collegium* ipsorum adfisceretur. RIMBERTUS *vita S. Ansharii* Cap. 23, p. 98. (Edit. Holmiæ 1677); *Chronologia Anshariana* apud LANGEBEK; *Scriptores Rerum Danicarum Med. Ævi* T. 1, p. 542.

(ss) RIMBERT. *vita Ansharii*, Cap. 16, p. 64; cfr. BOTIN I, c. 1 D^o p. 191.

(tt) Cfr. BOTIN I, c. p. 323 et p. 192.

vis majoris saltem momenti res, solenne jam fuisse, extra omne ponit dubium vel celebre proregis Olavi responsum, *Anshario*, inlyto terrarum septentrionalium apostolo evangelico, redditum. Sveciam nempe hic iterum (an. 853) visitans cum doctrinam christianam sermonibus divulgandi veniam & tutelam regiam sibi expeteret; responsum tulit, *regem neque posse neque audere petitionis copiam ipsi facere, antequam — — quid de re sentiret populus juberetque, intellexisset*; excusatione porro addita: "*sic quippe apud nos moris est, ut quodcumque negotium magis in populi unanimitate quam in regia potestate consistat (uu)*."

Dicto autem rem respondisse inde patet, quod petitio Ansharii non solum ad provincialem quandam populi concionem, Bircoam, domicilium proregis convocatam, delegaretur, sed post longam demum jurgiorumque plenam (vv) deliberationem hic concessa, ulteriori etiam universalium comitorum Upsaliensium adjudicationi deferretur (xx).

Quorum

(uu) RIMBERTUS *vit. Anshar.* Cap. 23 p. 100 edit. cit.

(vv) RIMBERT. *vit. Anshar.* Cap. 24.

(xx) RIMBERTUS, cit. loc. p. 104, quidem narrat, proregem *Olavum Anshario* denunciante: "*populi unanimitatem ad suam (Ansharii) voluntatem conversam, sibi (regi) hoc per omnia placere, necdum tamen se plenam licentiam ei concedere posse, donec in alio placito, quod erat in altera parte regni sui futurum, id ipsum populo ibi positum nunciaret.*" -- *Placito hoc futuro, sententiam, quam Upsaliensibus comitiis de causa Ansharii laturus esset populus, indigitari, perspectu non erit difficile cuique morem hujus ævi judicium recordanti.* Cfr. præterea *Vit. Anshar. per Rimbert.* ap. LANGEBEK *Script. Rer. Dan. T. I p. 476 Not. r.*

Quorum venia tandem impetrata, *Ansebarius* a rege, ultimæ sanctionis loco, templa ædificandi, sacerdotes constituendi & volentes quoscunque docendi ac baptizandi licentia ornatus est (yy).

Hinc jam colligere liceat, decernendi jus ad populum, exsequendi tantum potestatem ad regem his temporibus pertinuisse.

Verum enim vero hanc tantam populi auctoritatem, propius ad finem *Lodbrokicæ* periodi, adeo non diminutam fuisse ut potius creverit, plura comitiorum monumenta loquuntur.

Namque cum *Ericus*, cognomine *Segersfäll*, *Erici Väderhatt* nepos, post *Olavi* majoris natu fratris obitum, ad regnum (p. Chr. n. 964) accessisset; fratris ejus filius *Styrbjörn*, ob fortitudinem *Starke* appellatus, injuriam sibi a patruo illatam eo facto ducens, non ita multo post causam querelasque suas ad populum, solennia celebrantem comitia, detulit (zz). In quo tamen cum ferocius versaretur, jusque suum arroganter ac minaciter efflagitaret; non modo repulsam petitionis tulit, sed lapidibus etiam petitus e concione ejectus est (a).

Quæ

(yy) RIMBERTUS vit. *Anschar.* Cap. 25, p. 106 (edit. Holmiens.).

(zz) TORFÆI *Trifolium Historicum*, (Halmæ A. 1707) Cap. 14, p. 72; BOTIN l. c. I D. p. 200 et p. 280. Cfr. Torfæi *Hist. Norveg.* P. 2 Lib. 7, cap. 11.

(a) TORFÆI *Trif. Hist.* loc. cit.; BOTIN II, 66.

Quæ quidem sic peracta res, jus regem eligendi atque ab amulorum insidiis tutum præstandi, jam tum temporis, civibus fuisse, apertissime prodit.

Verum cum ætate regis *Olavi*, *Skótkonung* dicti, summarum rerum pleraque luculentis historiæ testimoniis illustrentur (*b*); hoc etiam temporis intervallo omnia ea, quæ juris potestatisque comitialis populo Svecano permixta faciem expriment, multo accuratius quam antea relata reperiuntur. Quorum potissima quævis, ubi a me fuerint recensita; quætionem, quam hoc tempore de primordiis tantum juris comitialis Svecani, ultra pagagica quidem sæcula semet non extendentibus, institui, expeditam ac qualitercunque pertractatam esse judicabo: quoniam nimirum temporibus rege Olavo aliquanto posterioribus, publicarum rerum administrandarum ratio, regiminisve forma, una cum religione gentis sensim commutata (*c*), diversam a suscepta præbet disputandi materiam.

De rege autem *Olavo*, cui *Sveci* (*Sönske*) etiam nomen additum, in transitu notandum: eum superbia tumentis

(*b*) Veterum monumentorum ac scriptorum præcipui, res memorabiles & vitam *Olavi Skótkonung* illustrantes, sunt: SKORRONIS STUR-LONIDÆ: *Harald Gråfalds Saga*, *Olof Tryggvason's Saga*, *Olof Helges Haraldsons Saga*; ODDUR MUNKS SAGA: (*vita Olavi Tryggvoniðæ*); HERVARAR SAGA, Cap. 20 p. 181, (edit. Verelii); *Fragmentum Hist. Dan. Islandicum*, *Annales Islandorum Regii* apud Langebek Script. Rer. Dan. Tom. II et Tom. III. ADAMI BRE-MENSIS *Historia Ecclesiastica*.

(*c*) Consule WILDE *Hist. Pragm. Sv. Cap. 3, Sect. 2, §§. 18 & 19*, sed imprimis §. 20 et circa sequiora tempora §. 21, sq.

tis et imperiosi animi hominem, de potestate sua valde anxium, dicta ac facta aliorum suæ vel sententiæ, quid dicam voluntati, contraria impatientissime ferentem, verborum minarumque gloriose sonantium gravem ostentatorem, re autem languidum et socordia torpescentem cunctatorem, atque parum fortem fuisse (d). Huic ita animato principi, Norvegiæ Rex *Olofus Haraldsi*, inferior sane potentia et opibus, sed consiliorum calliditate ac prudentia rerumque gerendarum expedita celeritate mirum quantum superior (e), ereptas aviti regni provincias recuperandi gratia, bellum intulit. In quo cum ea, quæ cogitaverat justaque duxerat, feliciter perfecisset; animus illi quidem a pace haud alienus inerat (f). Rex vero Sveciæ *Olavo Haraldsi* adeo infestus fuit, ut *Crassum* (Digre) hunc appellari postulans, nec umquam, se præsentem, regis Norvegiæ nomen inimico attribui permittens (g) pacem cum eo jungere generositate majestæque sua indignum existimaret (h). Civis autem, præsertim limitibus

(d) STURLON. l. c. *Olof H. Sag.* Cap. 71, pp. 460 - 466; Cap. 68, p. 455, C. 80, pp. 483, 484, Cap. 89, p. 502, Cap. 96, pp. 522 - 524, Cap. 81, p. 485, Cap. 57, p. 439, Cap. 6, p. 378, Capp. 52, 54, pp. 432, 433. Cfr. TORFÆI *Hist. Norveg.* Part. 3, Libr. 2, cap. 1, p. 61; cap. 8, pp. 75 - 78 et capp. 14, 16.

(e) v. STURLONIDÆ *Kon. Olof Helg. Haraldsi, Saga.*

(f) STURLON. loc. cit. capp. 65, 67, 68.

(g) STURLON. loc. cit. Cap. 66, p. 451, Cap. 71, p. 463, et ultima quidem cap. 89 verba hæc sunt: *i hvort sinni var þ hann reiður, er Olafur Digri var Kongur fassaður*, h. e. *ira succensus fuit (Clavus Svecus), quoties Olavus Crassus rex appellatus est.* Cfr. TORFÆI libr. c. P. 3 L. 2 C. 5, p. 69.

(h) STURLON. l. c. *Ol. H. S. Cap.* 71, p. 463, 464.

bus Norvegiæ finitimi, nullo militum præsidio defensi, proptereaque assiduis, pro bellico temporis more, populationibus vexati (i), cum maximo jam belli tædio caperentur; non fieri potuit, quin Norvegiæ regis ad pacem componendam legatis animo valde faventes linguaque plerique omnes reperirentur. Adjutorem vero in negotio suo perficiendo eximium simul habuerunt nuntii, civem non modo Svecanum, sed nobilem etiam atque regis Sveciæ propinquum, *Jarlum Ragvaldum Ulfonis* (k), in Westrogothia confini Norvegiæ provincia habitantem, quocum *Olaus Haraldii* inducias, commerciorum commoda Vikensibus l, æque ac Westrogothis civibus parantes, jam antea pepigerat (m). Qui Jarlus, qua potissimum via regem *Olavum Suecum*, invitum proflus et omni reconciliationi reluctantem, ad pacem cum Norvegiæ rege constituendam perduxerit, exponere res proposita jubet.

Jarlus igitur, qui præter pacis, etiam nuptiarum cum *Inggerde*, *Olavi Sønne* filia, conciliationem in Norvegici regis gratiam in se susceperat, atque in ea re adeo feliciter versatus fuerat, ut regiam virginem non solum conubio conjungendo facilem, sed quoque paci promovendæ solertem auxiliatricem haberet (n): continuo tamen intel-

(i) STALON. l. c. Cap. 65, p. 450, cap. 71, p. 465.

(k) STURL. l. c. Cap. 68, pp. 454 - 457; TOFF. l. c. P. 3 Libr. 2 Cap. 5 p. 69.

(l) *Vikenses* hic nominantur, incolæ provincie, Norvegiæ regno tum temporis subjectæ, quæ hodie *Bohuslandia* audit. v. LAGERBERG *Svea Rik. Hist.* 1 D. Cap. 5, §. 37, p. 202 (not. 2).

(m) STURLONIDES l. c. Cap. 65, p. 450; TOFFÆUS loc. cit.

(n) STURL. l. c. Cap. 78 p. 480, cfr. C. 71, p. 465.

intellexit, validiorem quandam opem sibi esse quarendam.

Legiferi, quorum supra (p. 14 sq. et n. ff.) memini, hac ætate, jam majore quam antea, auctoritate valebant. Præterquam enim, quod singuli eorum in sua provincia leges colligendi, ferendi & custodiendi, judiciaque de controversiis faciendi munere fungebantur, tribunicia etiam ornati erant potestate, qua publicis conventibus populi causam vel contra regem ipsum suscipere & patrocinio suo defendere (o), atque semet ea re libertatis seu juris cujuscunque læsi acres præbere poterant vindices. Ad quæ omnia perficienda ipsis auxilio esse solebant civium ingenuorum obsequium amorque, legiferis plerumque ita addictus ut quocumque hi vellent fideliter illi assectarentur (p). Inter hos autem tanta potentia prævalentes, principem locum tenebat & in solennibus universi regni comitiis communem populi oratorem ex vetere instituto agebat Legifer Uplandiæ (q).

Cui gravi adeo muneri, hac tempestate, post longam valde majorum in eodem honoris gradu rerum gestarum gloria conspicuorum seriem, præfuit *Tborgnyrus*, e civium ingenuorum (Bønder numero unus, apud omnes multis nominibus auctoritate spectatissimus. Ad hunc itaque, cum brevi instarent comitia, simul cum Norvegiæ legatis se contulit Ragvaldus Jarlus, arduo negotio opem expediturus. Pro dignitate sua honorifice receptus, susce-

E

ptum

(o) STURLON, l. c. Cap. 76, p. 478.

(p) STURLON, loc. cit.

(q) STURLON, loc. cit.

ptum grave & difficile negotium legifero exponens, atque se tantæ rei perficiendæ imparem confessus, consilium et operam implorat. Cui quidem, ut narrat STURLONIDES in Hist. regum septentrionalium, *Olavi Sæti Harald* vita Cap. 79 p. 472 respondens senex venerandus exprobrat: "Mirum sane mihi videtur viros genere, titulis et honoribus in illustri positos loco e difficultatibus semet expedire vel minimis non valere. Nonne etiam tibi satius fuisset et prudentius, antequam iter hoc ingredereris, tecum perpendisse, vires tibi deficere & opes, ad regi *Olavo* resistendum? Mihi dignitatibus non minus gloriosum videtur in magna civium (r) corona libere sententiam dicere, nec vel regis quantumlibet ibi præsentis extimescere iram. Ad Upsaliensia itaque veniam comitia teque securum præstabo, ut absque metu, quæ volueris, effari possis."

Ex quibus citatis perspicue elucet, populum Svecanum semet eo jam tempore non tantum in duas clasces sive Ordines, *nobilium* nempe vel *illustrium* (TIGNARMÂN et *ingenuorum* (Bönder) divisum existimasse, sed pro æmulatione inter eos antiquitus vigente, jam ordinis utriusque invidiam irrepsisse animis. Exprobrationi vero invidiam significanti, ea etiam heic subjunxisse *Thorngnyrum*, quæ *Ragvaldo* declararent, se suum munus, quamvis civium solummodo ingenuorum ordini propriam, non tantum non Jarli dignitate inferius, sed et præstantius æstimasse, allata verba non obscure produunt. Nec false illum de ea re sensisse judicet, qui jura et officia utriusque propria ordini inter se comparaverit.

Namque

(r) h. e. *Ingenuorum*, *Böanda taulu*, (Böndernas antal).

Namque, quemadmodum ceteros *nobiles* optimates singularia officia regi præstari oportuit (s), ita Jarlo etiam muneri fuit ad regis quæcunque mandata præsto esse: neque, si in provinciam aliquam legatus esset, illi licebat "regione decedere aut expeditionem suscipere, nisi consensu regis, neque amicitiam inire cum ullo Magnatum, quibus rex ob causam legitimum insensior esset, minime omnium talibus refugium præbere visis, qui regiam incurrisissent iram" (t). Legiferi munus regiæ potestati subductum fuisse ex supra dictis satis percipiatur.

Sed ad rationem explicandam, qua tandem *Jarlus Ragvaldus*, non suo, verum populi jure, auctoritateque publicæ causæ patroni Thorgnyri nixus, regem ad conditiones oblatæ pacis accipiendas perduxit, jam revertor.

Conveniebant itaque cives, si non vititum prorsus, at admodum saltem frequentes ad solennia Upsaliæ comitia de summa rerum publicarum cum rege deliberaturi (u). Hactenus quidem hostiis pro incolunitate regis regniq; pro pace et victoria comitia auspiciari consuetum fuerat (v). Utrum verò hoc quoque tempore solita sacra deliberationum comitialium initiis præmissa fuerint, an respectu *Olavi* Christianismo jam addicti regis neglecta, de eo vix certi quid definiri potest, cum locupletissimi

E 2

et

(s) WILDE *Hist. pragm. Sv.* Cap. 3 Sect. I §. 10.

(t) Verba hic inferui, quæ e *Cap. 12 legum Norvegiæ antillarum* affert WILDE l. c. p. 282.

(u) WILDE l. c. Cap. 3 Sect. I §. 13, cc. 4 - 8. pp. 313, 314.

(v) STURLONIDES l. c. *Olof H. Sag.* Cap. 76, p. 477.

et fere unici (x) hujus rei scriptoris, *Sturlonide* testimonium nihil præter mentionem comitiorum ipsorum nundinarumque, etiam post Religionem Christianam in Sveciam introductam habitatum, contineat (y). Sed narrat idem (z) regem Olavum primo comitiorum, de quibus loquimur, die, in tella sua aulicis satellitibus (*hyrb*) undique stipatum, et alio comitii loco (e regione forsitan) in sellis *Ragvaldum Jarlum* et *Thorgnyrum*, atque ante eos aulicos (*hyrb*) *Jarli* et domesticos (*huskarla sveit*) *Thorgnyri* confedisse, pone sellas vero (*stolinom*) civium ingenuorum multitudinem undique circumstetisse aliquosque editiora loca tumulosque (*Hauga*) auscultandi gratia conscendisse. Sic vero universæ concionis ordine disposito, rex, consuetudini hodiernæ convenienter, negotia sua populo expendenda et transigenda proponens, comitia aperuit. Ex iis autem, quæ antea (aa) filix suæ minatus erat conjici probabiliter potest, palmarium regis ad populum delatam fuisse, optare semet ac velle, ut "exercitus ex universo civium cœtu proscriptus, constrictis adhuc gelu aquis, Norvegiam una secum invaderet,

(x) Consule *WILDE* loc. cit. §. 13 c. 3 p. 315.

(y) Verba illius hanc rem spectantia sunt: "Enn er *Christne* var i *Suyþieð*, þa hieß þar þo læng þing oc markapur; sed *Christianismo* in *Sveciam* introducto, legitima comitia nundinaque ibi nihilominus celebrabantur. Ex contextu vero ipsius narrationis colligere fere liceat; non per diu quidem prævaluisse Christianam religionem, antequam in solennibus universorum civium comitiis paganicæ superstitionis sacrificia omitterentur. V. *STURL.* Ol. H. sag. Cap. 76 pp. 476, 477.

(z) Ol. H. S. Cap. 80 initio.

(aa) Telle *STURLONIDE* loc. cit. cap. 71 p. 465.

vaderet, infidelitatem incolarum vindicandi gratia, illam ferro et incendio vastabundus.”

“Verum pro more regis pertractatis negotiis (bb) in medio exurgens, prope Jarli sedem, Norvegiæ legatus *Bjorna* Mareschallus, vel aulae magister (Stallari), dixit semet a rege *Olavo Harald* mislum, ut ipsius nomine antiquos, qui Sveciam inter ac Norvegiam fuerant, fines, antiqua cum pace Svionum regi offeret.”

Colligitur hinc, a consuetudine institutoque hujus ævi non abhorruisse, legatos exterorum principum ad comitia quoque admittere (cc). Quod tamen non nisi regis bona cum venia fieri oportuisse, vel inde intelligere liceat, quod rex exsiliens atque indecoram ejusmodi orationem pronuntians (Frob stilt esse tia mundo), universo coram populo, Stentorea voce silentium oratori imperare ausus est (dd).

Bjornoni autem regio dicto morem gerenti, suamque rursus occupanti sedem, succedens, loquendi copia facta, *Ragvaldus* Jarlus, exponit populo primum de legatione regis *Olavi Crasti*, pacisque conditionibus *Olavo* Sveciæ regi oblatis: porro de sollicitationibus Westrogothorum civium pro pace cum Norvegiæ incolis stabilienda, præsentia futuraque in Westrogothos præsertim redundantia belli varia simul referens mala. Addit denique, nuntiis Norvegiæ regem in mandatis dedisse ut ipsi regis Sveciæ
filiam

(bb) Verba Sturlonidæ I. c. Cap. 80 p. 483.

(cc) Cfr. WILDE I. c. p. 316.

(dd) Vide STURLON. loc. cit.

filiam *Ingegerdem* nuptum dari rogarent. Quæ cum ille dixisset, asturgens rex, pacem se agere accepturum respondet. Jarlum dein, arrogantiam illius acerbe increpans, quod se inconsulto pacem non solum et inducias cum crasso illo viro pepigisset, sed quoque amicitiam junxisset, prodicionis ac læsæ erga se majestatis acculat, dignumque qui exsilii mulctaretur pœna, pronunciat.

Regem autem in præsentia universi populi graviter adeo in Jarlum, eundemque non tam suam quam civium potius causam agere visum, invehi sustinuisse, indicio est luculento, illum hoc sibi suo certe jure vindicasse, Jarlumque ausis suis debita regi officia violasse.

Quamobrem hic obmutescens spem præsidii salutisque nonnisi in Oratoris ingenuorum civium *Thoronyri* promissis & auctoritate collocabat. Nec exspectatio eum frustrata est. Namque vir summa civium observantia cultus, accurrentium undique armatorum et, quæ diceret, audiendi cupiditate flagrantium turba circumdatus septusque, gravem adeo Jarloque faventem in regem fudit orationem ut non justis solum sed injustis quoque Jarli in Norvegiæ regis favorem petitionibus assensum præbere rex cogere-
retur.

Quam orationem longe famosissimam (ee), licet a moribus nostris non parum abhorrentem, cum tamen committalem

(ee) Latine ita fere exprimendam: "Alia hodie Sveciæ regibus est animi indoles, agendique ratio quam olim. Avus meus paternus THORONYRUS, ERICI meminisse potuit Upsaliæ regis, EMUNDI filii, quem narravit viridi ætate florentem, expeditis quavis ætate armis et copiis, varias adiisse regiones, suoque imperio subjecisse

mitialem quæ illis temporibus viguit populi potestatem non obscure monstret, heic subjungendam esse doxi. Primum vero in ea Reipublicæ, a compluribus Olavi præ-

Finlandiam, Kyrialiam, Estoniam, atque Curlandiam pluresque late versus orientem sitas regiones, ubi etiamnum cernere licet congestos ex cespite aggeres aliaque fortiter ibi et præclare ab eo gestarum rerum monumenta: neque tamen animus illi tanta superbia intumuit, ut aures faciles non daret hominibus quos consilia secum conferre deceret. THORCHYRUS pater meus, diutissime apud BIORNONEM regem versatus, jucundam morum ejus notitiam habuit: namque singulis civibus popularem et affabilem se præbens, inopiamque longe propulsans, regnum suum florentissimum conservavit. Ipse egomet ERICI VICTORIOSI, cujus signa secutus sum, præclara gesta defendit, nec umquam tamen civium fastidivit consilia suorum. Rex vero hodiernus colloquendi copiam nemini nisi assentatoribus faciens ad quasvis gratas sibi res pertinaciter tentandas animi sui impetu ducitur: tributarias vero terras incuria et desidia sua alienari patitur, ac cupiditate, qua nemo hucusque Sueciæ regum incensus fuit, Norvegiam imperio suo subjiciendi flagrans, molestias innumeraque permultis affert incommoda. Nunc itaque, Olave rex, nostra, civium ingenuorum voluntas fert, ut tu, pacem cum Norvegiæ rege Olavo Crasso facias, eique filiam tuam Ingegerdem in matrimonium collotes. Quod si vero regna, quæ cognati majoresque tui in oriente tenuere, bello repetere in animo tibi est, omnes te ducem sequi parati sumus; sin monitis nostris obtemperare recusaveris, te aperta vi petilum necabimus, ulteriores a te ponendas quieti pacique nostræ insidias legumque violationes graviter vindicaturi. Idem majores quoque nostri dudum fecerunt, cum in comitiis Mulensibus, voragini immersos quinque trucidarunt reges, qui fastu inflati cives suos, quemadmodum tu nos, contempserunt. Confestim itaque declarâ, xtram eligere velis conditionem. --- Ad hanc vero orationem, cum universus populus, armis conceutiendis ingentem strepitum ciceret, rex confurgens pronunciat, velle se ad populi beneplacitum omnia pariter agere, ac antiquis etiam Svionum regibus solenne fuerat, et semet amittis in rebus civium voluntati accommodare.

prædecessoribus, bello & pace feliciter administratæ me-
 tionem, præclarorum testimoniis majorum confirmatam,
 ea mente iniecisse Thorgnyrus videtur, ut palam faceret,
 quæcunque Reipublicæ prospera contigissent, ea non mi-
 nus commonitionibus & consiliis civium jugiter observa-
 tis quam prudentiæ regnantium deberi; vi scilicet exem-
 plorum ostensurus, præsentis quoque regis esse civium
 parere monitis, quibus bella antiquo more transmarinis
 gentibus inferenda, pacem vero, ne domesticæ turbarentur
 sedes, cum adjacentibus colendam indicaverant. Inde
 ad declarandam pergit superbiam obstinationemque regii
 animi, civium commoda flocci adeo æstimantis, ut non
 modo non populum iusta præda ditandi ac tributa, unde
 sine civium detrimento potuisset, exigendi opportunita-
 tem negligeret, sed etiam, miro antiqua omnia despiciendi
 desiderio, cives continuarum vexationum periculis
 objiceret. Animis autem ita in ardentiorē etiam quam
 antea erga semet amorem accensis, omnes prius frustra
 tentatas regem commovendi rationes insuper habens,
 pessima illi audacter minitando, belli non modo finem
 præscribit, verum etiam, ultra quod æquitati convenerit,
 a parente exsolcit, ut inimicissimo sibi homini filiam
 conjugio societ. Minas vero incassum jactatas ne rex
 crederet, optionem eligendi permittens, utrum voluntati
 populi cedere, an pertinaciæ subire poenam mallet, me-
 moriam regum, superbia populi jura lædentium, ob
 eamque rem funesto mortis supplicio affectorum, com-
 monitionibus refravit. Dictis autem Thorgnyri cum
 universi cives armorum fremitu excitato assensum præ-
 buissent; rex civium sententiæ, priorum Sveciæ regum
 more semet accesserum continuo promisit. Cui tamen de-
 inde non satisfaciens promisso, regnoscere met exuendi peri-
 culum, ut mox vidimus, adiit.

Quo vero singula, quæ Lodbrokico ævo comitiale civium jus, seu de summis rebus statuendi potestatem, maxime indicant, plenius in unum colligi queant, nonnulla hæctenus allatis adjungere juvat ad rem spectantia.

Quemadmodum igitur hujus ævi Sveci *agendi libertatem* diligenter custodiebant, ita etiam, quicquid ejusque vis ingenii ac mensura tulerit, *liberi sentiendi facultas* curæ illis esse cœpit, ubi intelligerent, novæ religionis confesores conscientia libertati maxima moliri pericula. Pernotescere enim jam incipiebant varii generis atque immanes, quas inprimis reges Norvegiæ adjacentis, *Olavus Tryggvonides* (ff) ejusque successor *Olavus Haraldii* (gg) in veteris fidei assectatores exercuerant, crudelitates, atque forsitan etiam sævitia, qua in remotioribus terris idolorum cultores antiquorum persequerentur. Ad hæc accedebat, quod Sveciæ incolæ *Olavum*, quippe qui ipse cum filiis filiabusque Christianam jam amplexus erat religionem (hh), avito Deorum cultui insidias quoque instructurum subodorabantur (ii). Metu itaque ut sese liberarent, populoscito sibi præcavescentes cum rege conveniunt, ut ei quidem "optimam regni partem tenenti" rem divinam Christiano ritu facere, & in *Ecclesiæ* societatem quemlibet volentem recipere, metu vero aut vi neminem adigeré, neque a Christianismo alienum quempiam vel ab

F

amicitia

(ff) STURLON. libr. cit. *Olof Tryggvaf. sag.* Cap. 58, p. 276, 277. Cap. 64 p. 282. Capp. 75, 83, 84, 86; et passim alibi.

(gg) STURT. l. c. *Olof Helg. Sag.* C. 72, p. 468. Cap. III p. 553. Cap. 115 p. 559, 560.

(hh) BOTVI *Svenska Folk. Hist.* 2 Del. (edit. cit.) p. 148. LAGERBRING l. c. I Del. Cap. 16, §§. 21, 22.

(ii) ADAMI BRUN. *Hist. Eccles.* Cap. 41 p. 70 (edit. Maderii); VASTOYII *Vitis Aquilonia* p. 34 (edit. Er. Benzellii).

amicitiâ rejicere, vel e ceteris emolumentis muneribusque publicis, quibus ornari debuerit, excludere, licitum esset (*kk*).

Quæ hæcenus exempla rerum publice tractatarum attulerim, pleraque ad jus et habitum statutorum solenniumque comitiarum exponendum tendunt, conventibus quoque particularibus provincialibusve, universalium comitiarum formam imitantibus, quantum res proposita requirere visa est, (p. 8 not. *k*, et p. 22) leviter commemoratis.

Ut autem his temporibus, regis inter munera fuit, si quæ civium lites, injuste diremptæ, ad eum dijudicandæ devolverentur, de iisdem cognoscere et quidcumque in leges vel populi jura peccatum fuerit, correctorio suo iudicio atque inquisitorio (Rättare och Råsstering) compensare et emendare (*ll*); ita etiam, ne publica conventa maiorumve decreta, vel regis negligentia, vel pacifcentis cujuscunque culpa violarentur aut irrita caderent, civium fuit providere. Quod si populisciti temeritatem deprehendere iis contigerit, non leniter sane in eum animadvertere, sed manifesta vi invadere & capitali pœna reum publice afficere solebant. Argumento sit vel funestum fatum Ulfridi (*mm*), Christiani ex Anglia doctoris, aliorumque populi libertatem conscientiæ minuere agredientium (*nn*). Sed cum non semper evenerit, ut
pro

(*kk*) ADAMUS BREM. loc. cit. VASTORIUS, l. c. BARONII *Annalium Eccles. ad an. 1028*, Tom. XI p. 93; BOTIN l. c. I D. p. 127, 2 D. p. 123 et p. 171.

(*ll*) WILDE l. c. pp. 267, 268. BOTIN I Del. pp. 285 et 286.

(*mm*) ADAM. BREM. l. c. Cap. 44 p. 72. VASTOVII *Vit. Aquil.* p. 27.

(*nn*) Neque posteriori ævo, sævitiam in aliter circa sacra sentientes mutasse Svecos, probant exempla *Stephani*, archiepiscopi Bremensis

pro publica factorum religione servanda cives ipsi vigilare possent, tribunis eorum, sive legiferis, vel singulis in sua provincia, vel uni cuidam eorum præcipuo jus competit, graviore aliqua causa urgente, cives feziali teslera (budkassa) ad extraordinaria quoque convocandi comitia. Quorum memorabile admodum exstat exemplum, eorum, quæ, ad prædium *Ulleråker* prope Upsaliam, Olavo rege habita sunt (oo). Convocandi vero causa fuit, quod Olavus cives suos in solennibus, de quibus locuti sumus, comitiis inanibus promissis luserat, cum non solum filiam *Ingegerdem*, Olavo Norvegiæ regi solenniter desponsam, cum *Jarislavo* Holmgardiæ Principe nihilominus matrimonio conjungeret; sed etiam in pace firma et legitima constituenda tergiversaretur (pp). Insuper conventus civium in causa fuisse videtur, quod dubium erga se regis animum Westrogothi comperissent, illumque omnes eos criminis reos declarasse, qui simul cum *Jarlo Ragvaldo*, patria jam expulso, filiam suam a peregrina matre *Edla* natam *Astridim*, inconsulto patre et inscio nupturam Olavo Haraldi, in Norvegiam comitati fuerant (qq). Quapropter animis convenientium in regem vehementer exacerbatis, cum concordibus omnium sententiis jam transigeretur *Olavum* regno esse detrudendum, inter-

F 2

ventu

Adalberti Legati, *Esphilli*, Missionarii Angli, *Uginique* Jarli, propter suum in religionem Christianam studium, miserabiliter trucidatorum. V. VASTAV. l. c. p. 47. MESSENTII *Scandia Illustrata* Tom. XII, pp. 69, 70. Cfr. BORIS l. c. 2 D. p. 143 et pp. 124, 172, 263.

(oo) STURLONIDES *Ol. H. S.* pp. 525, 526 sq.

(pp) SIMONSON. l. c. *Olof H. Sag.* Cap. 96, pp. 521-526. Capp. 89, 95. pp. 50, 503, et pp. 516, 517.

(qq) STURLON. loc. cit. Cap. 96 p. 518.

ventu fratrum *Freividi et Arvidi*, fidelium regi consilia-
riorum, id a civibus impetratum est, ut filium *Olavi*
Anundum e Sveca matre natum (rr) regem sibi eligerent.
Quo facto, retens creatus rex cum civium coetum domum
dimisisset, inter hunc patremque *Olavum* ita convenit: ut
pater quidem quamdiu in vivis esset, pace cum Norve-
giæ rege constituta ac servata, inimicitiaque erga eos, qui
pacis conciliandæ negotio operam et ministeria sua ac-
commodaverant, seposita, regni habenas moderaretur: fi-
lium autem regio etiam titulo insignitum, si quid *Olavus*
libertati et juribus civium decerperet, a partibus ipsorum
stare oporteret (ss).

Sed ita jam sufficientibus, ut spero, atque perspicuis
ipsarum rerum exemplis materia nostra illustrata, coronam
inchoatis impositurus, opusculi finem faciam, bre-
vissime recensendo ea quæ maxime, ex supra dispu-
tatis atque expositis de ratione & statu juris comitialis per
paganica tempora, colligi possint.

Omnes quidem comitiorum jus, quod antiquissimo,
de quo locuti sumus, ævo, ingenuis Svevicæ Reipublicæ
civibus, iisdemque proprii fundi dominis reservatum fuit,
originem suam a solennibus, Ynglingorum quidem pe-
riodo, Deorum aut solo aut certe maxime cultui dica-
tis conventibus duxisse significans, exponere præterea co-
natus sum: cum reges Upsaliæ omnem, qua præ regulis
provinciarum, pollebant auctoritatem, tum cives liber-
tatem et jura, quibus fruebantur, religiosis hæc
unicè

(rr) STURLON. loc. cit. Cap. 96, p. 527; Cap. 89, p. 502. Cfr.
ADAM. BREM. *Hist. Eccles.* Lib. 2 Cap. 28, p. 64.

(ss) STURLON. loc. cit. Cap. 96 p. 528.

unice debuisse conventibus. Quæ quidem commoda, Ynglingico jam tempore, genti, quamvis nondum de genuino universalium conventuum usu edoctæ, non potuisse non affluere, extra dubium, posuisse me crediderim. Cum autem transgresso ad posteriorem periodum, ubi conventus universales, originitus religiosi nonnisi cærimoniis consecrati, justam comitiorum formam jam induerent, mihi non contigerit, in historiæ monumentis relatam detegere singularem quandam indicatæ mutationis occasionem; eâ leviter attingi populi principumque fata aliquot ac facta, quæ maxime probabiliter rei conversionem etiam si non attulisse, at sensim tamen preparasse mihi visa sunt. Eos vero ex universo civium cœtu, qui & propinquitate cum regibus et muneribus aulicis, præ ceteris, nobilium (tt) instar eminent, vel nullam vel nonnisi minutam in comitiis possedisse et contra voluntatem ipsius regis aliquid decernendi exercuisse potestatem, satis, opinor in aperto posuim est, vel uno exemplo *Ragvaldi*, Jarlorum licet potest-

(tt) Ab horum Nobilium genere probe distinguendi sunt, qui Ynglingica ætate floruerunt reguli ceterique provinciarum potentiores præfecti, quippe qui, ut in Domaldi Diis immolati regis exemplo conspicere licet, suo jure et summam sibi sacrificiorum procuratorem vindicarent, et probabiliter in libris populi privatis dirimendis communem exercuerunt cum Drottis judicariam potestatem. Nec magis cum sequiorum temporum nobilibus confundendi sunt, quoniam neque immunitate tributorum civilium, neque aliis quibusdam generis, præ ceteris civibus ingenuis, fruerentur juribus hereditariis, sive prærogativis. Cfr. quæ de hac re, doctissime, ut solet, disputavit Celeb. MATTH. CALONIUS in Dissert. Acad. *De prisco Servorum in patria jure*. P. I. §. II. Cujus dissertationis (PP. 1 V, Aboæ 1780-1793) per festinationem -- fatori pudet -- a nobis neglectæ, consultationem præcipuam, ad illa quæ supra p. 30, not. r. discernimus, vehementer commendamus.

potentissimi, ad omnia, quæ regi ingrata essent, sine auxilio principis civium ingenuorum (Bondonum) *Thorgnyri*, perficienda tamen imparis. Quæ ipsa *Thorgnyri* auctoritas, cum Bondonum (Odalbondernas) comiciali potestate suffulci erur, sive potius ex illa omnis enasceretur liquet: cunctis hisce ingenuis civibus summum competitisse jus in comitiis, quicquid ipsis optimum ac prudentissimum videretur, de summis rebus statuendi atque decernendi. Sed ex exemplis a me prolatis præterea etiam colligere licet, quas imprimis res comiciali horum civium iudicio subicere eo tempore solitum erat. Primum itaque civibus, reservata sibi conscientiæ libertate, vel antiquam religionem suam retinendi, vel novam quamcunque, quæ magis placeret, suscipiendi, deinde regem non tantum eligendi (iii) ac tuendi, sed etiam, ubi æquum vel necessarium ipsis videretur, e regno detrudendi, jus sanctissimum fuisse intelleximus. Bella curto vel pacem fœderaque jubendi licentiam Boudones Svecanos possedisse vel ex sola *Thorgnyri* allata oratione perceptu facile est. Denique legislativam quoque potestatem eosdem in comitiis maxime exercuisse, inde jam patet, quod ut supra vidimus, ne regi quidem a promissis publice datis impune recedere unquam liceret. Genera comitiarum quod atinet, tria eadem fuisse vidimus: primum: *universalium* quotannis mense Februario (v) Upsaliæ, sacrificiorum gratia præcipue

(iii) Non de electionis quod ævo Ynglingorum valuit jure, sed de illo, quod Lodbrokicorum periodo regum civibus competitio nomet loqui vel ex his patet quæ de *Strybjörnne* &c. attuli, comparatis cum indicata superius ad pp. 5 et 6 Ynglingorum in regnum succedendi ratione.

(iv) Aliis etiam anni temporibus sacrificia celebrata fuisse narrat SNORRO STURLONIDES l. c. T. I. Cap. 8, p. 10, atque ADAMUS

cipue originis habitorum; alterum *particularium* sive *provincialium*; tertium denique *extraordinariorum*, quibus scilicet ansam præbuit injuncta civibus quosque jurium suorum temeratores puniendi atque ab illorum insidiis sibi præcavendi necessitas.

Petraçtata itaque sic qualitercunque materia, quam nobis proposuimus, manum de tabula auferentes substimus.

BREMENSIS *De situ Daniæ et reliqu. Septentrionalium regionum* Cap. 94, p. 153 (*edit. Maderi*) novennialium injicit mentionem sacrificiorum toti Sveciæ maxime solennium: sed cum hæc aut omnino nullis, aut certe non diversis ab illis de quibus locutus sumus transactionibus publicis ansam dedisse reperiantur, silentio eadem debuisse præterire mihi visus sum.

CORRIGENDA.

Pag. 3 liq. 13 enarrtionem leg. enarrationem. P. 4 l. 12 que-
 sitionem leg. quaestionem. L. 16 suspicere leg. suspicari. P. 5 l. 6
 collustratris leg. collustratis. L. 14 adhinc leg. abhinc. L. 20 post
 inuatisse delendum est comma (,). P. 6 l. 10 ornatus leg. orna-
 tos. Not. (d) PÆRINGSCHÖLD leg. PÆRINGSKIÖLD. P. 7 l. 7 Qua leg.
 Qua. P. 8 not. (k) l. 9 inpendendus leg. impendendus. P. 9 l. 5
 potestati leg. potestate. Not. (p) l. 11 leg. si inquam ad consultum
 conuiveret quo. P. 10 l. 17 uebanar leg. utebantur. P. 11 l. 9 ad-
 digere leg. adigere. L. 15 diuisa leg. diuisus. L. 19 par ius leg.
 parcius. P. 12 l. 9 Et leg. ex. L. 13 regibus leg. regibus. Not. (bb)
 l. 4 Cap. 8 p. 10 leg. Cap. 12 p. 12. P. 13 l. 4 non nisiis leg. non-
 nisi iis. P. 14 l. 2 Odalbörder leg. Odalbörder. Haidar leg. Haid-
 dar. Not. (cc) l. 3 p. 2 83 leg. p. 2 83. Not. (ff) l. 6 surge leg.
 sirre. P. 17 l. 4 Lodbrochidarum leg. Lodbrokidarum. L. 10 suc-
 cessit leg. successit. P. 18 l. 9 communitas leg. communitum. P. 20
 not. (qq) l. 5 p. 2 1 leg. 221. P. 21 l. 2 conuentu leg. conuentus.
 Not. (rr) l. 2 p. 24 leg. 224. P. 22 l. 10 post magis ponendum est
 in. Not. (xx) l. 4 Al o leg. Alio. P. 25 l. 3 in atientissime leg.
 impatientissime. P. 26 Not. (i) Stalow leg. SturLOW. P. 31 l. 6 se-
 nec leg. semet. L. 18 facta leg. facta. P. 33 not. (ee) l. 12 suorum
 leg. suorum. L. 21 si leg. si. P. 34 l. 3i accesserum leg. accessurum.
 L. 32 satisfa iens leg. satisfaciens. reguose met leg. regno semet.
 P. 10 not. (p) l. 1 externarum leg. externorum. P. 17 l. 8 angustias
 leg. angustias. P. 36 not. (kk) l. 1 Vastorius leg. Vastorius.